

TENTAMEN

MEDICO-CHIRURGICUM

CIRCA ERYSIPELAS.

QUOD Deô duce & auspice Dei-parâ in Ludovicô Medico Monspeliensi tueri conabitur

Auctor SALVATOR VILA & CANALS , è loco , vulgo
de Amèr Diœcesis Gerundensis , apud Hispanos
in Gotolaunia , Artium Liberalium Magister ,
Collegii Medicinæ Gerundæ Collega , hujusce
Facultatis in celeberrimâ Universitate Monspeliensi jamdudum alumnus , die 8 mensis Januarii anni 1791.

Pro Baccalaureatus gradu consequendo.

Vivit quicumque valet , & non valet , quicumque vivit.

ASTRUC , PATHOL . p. 7.




MONSPÉLII ,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL , Universitatis Medicinæ
Typographi & Bibliopolæ.
M. DCC. XCI.

PERILLUSTRIBUS

ADMODUM GERUNDENSIBUS SENATORIBUS.

Venit tandem (illust. viri) tam à longo jam tempore, tantaque cupidine, desiderata illa dies qua indicia vobis offerre aliqua possum, mihi non defuisse, nec defuturam, vestrorum erga me beneficiorum memoriam: has ideo in arte medica laborum meorum primitias, quas venerabili vestro condecorare ausus sum nomine, in æternum gratitudinis monumentum vobis dico; &, ut eo quo solitis bono & benigno animo acciperetis vellem, quod ita fore confido, fretus vestrâ & prudentiâ & omnimodâ indulgentiâ,

Humillimus obsequen-
tissimusque servus,
SALVATOR VILA & CANALS.



TENTAMEN MEDICO-CHIRURGICUM CIRCA ERYSIPELAS.

ALII sunt morbi definitionem ex causa sumentes ; alii illam ex phœnomenis deducentes. Ex definitione morborum , à causa deprompta , (cum hæc sæpiissimè lateat) errores nec parvi nascuntur ; ut , cum dicitur , erysipelas esse bilem adustam aut acrem , ad aliquam partem depositam , nihil cognitioni tribuitur : nam si tyro-medicus ad ægrum , hac bilis alteratione laborantem , vocetur , tam felici memoria non gaudet ut à perspectis in ægro signis , statim ratiocinando possit invenire , ea à bile adusta , acri provenire ; ideoque consultiūs fore putamus , ut inquit *Gorter* , illam ex phœnomenis desumere ; sed ut hoc rectè instituatur , nec ex uno tantum phœnomeno morbū definire fas est , cum plures morbi , naturâ quamvis diversi , possint eodem phœnomeno convenire , ac consequenter confundi : nec tot supervacanæa sunt multiplicanda phœnomena , vel propria vel accidentalia , ut onerent memoriam.

Itaque hac methodo servatis quæ servanda proponimus , nonnullorumque auctorum vestigia calcando , erysipelas definiendum suscipiemus , & meliori quo poterimus modo , eorum scrinia compilabimus , ut ejus historiam , & rectam curationem instituamus.

Tunc erysipelas existere dicimus , quando tumor aliquis datur superficiarius , æqualis , ferè sine altitudine latus , splendens , subrubicundus aut rubore & pallore mixtus , vel ut inquit *Gorter* , rubedine ad flavedinem accedente ; aliquandò annotante *Platner* , si corpora malo habitu donata eo tententur , ex rubro subniger patefit ; rubedo ista quæcumque sit prementi digito facilè cedit , sed eadem facilitate eo sublato , pristinum situm seu spatum recuperat ; facile ex uno in alium transit locum erysipelas & tunc erysipelas vagum nuncupatur.

Hæc sunt phœnomena , quibus erysipelas , ab aliis quibus confundi posset morbis , distinguitur : v. g. distinguitur ab inflammatione , eò quòd prementi digito cedat ; à maculis , propter rubedinem quæ in erysipelate ad flavedinem accedit , & latè dispersa est ; à phlogosi , & epiphlogismate , eò quòd aliquam habeat intumescentiam , & aliquam dolorem ; sùa parva altitudine , diversum à phlegmone , sub oculis manifestatur (*Gorter*).

In determinandâ materiæ peccantis naturâ , hūc opus , hic labor est ; alii ut imprimis (*Gorter*) suis ratiociniis ducti , materiem acrem stimulantem & meabilem incusat , cui proindè naturam pinguedinosam , rancidam vel corruptam tribuunt ; humor serofus acrene tentatus (*Lorry*) ; tenuissimum ferventemque sanguinem , aut bilem cum sanguine , calidiorem utrumque quam oporteat , esse contendit (*Galenus*) ; cui videtur assentire (*Sennert*) plerique tandem ni fallor , & imprimis recentiores , causam , vel materiem erysipelati ansam præbentem , in alteratione biliosa semper statuunt ; ab hac ultima opinione non recedam , observationibus quippè quotidianis magis ac magis verificatur , ut patet ex indicationibus , fausto cum successu factis , quibus praxis hodierna in hoc morbo utitur , pro debellandâ hac causâ biliosâ .

Animadvertisendum tamen quod quamvis bilis acrimonia sit morbi nostri princeps causa , febris illum concomitans , potest esse , non solum inflammatoria , sed etiam & putrida , & maligna , quòd attentionem non parvam in praxi meretur (*Selle*) nulli corporis parti , sive internæ , sive externæ , parcit erysipelas ; sic in pulmone , hepate , &c. suam sedem

quandoquidem habet (1) : & si externas partes infestat nunc in facie (quod frequentius evenit) collo , pectore , cruribus infigitur , nunc singuli instar , corpus ambit , & tunc dicitur , (*Zoster* aut *Zona*) nec raro supervenit vulneribus , ulceribus , oritur etiam ex metaftasi si febris vel aliūs morbi materia aliquem in locum incumbit..

In immensum cresceret mea thesis , si omnes erysipelatis species , ab auctoribus traditas , annotare vellem , cum quot homines , tot sententiae sint ; omnes inquam , qui erysipelatis theoriæ tradendæ operam navarunt , nova erysipelata semper invenerunt , distinctionesque in infinitum divisas attulerunt ; sed an easdem species , ratione tantum alicujus symptomatis intensitatis , discrepantes , pro diversis habuerint (2) , solertioribus examinandum relinquimus : nos itaque distinctionibus plerisque supersedendo , erysipelas tantum dividemus in simplex , (quod & idiopathicum voco) in symptomaticum , & in complicatum.

Primo in casu , febrem erysipelatosam tanquam morbum primarium & simplicem , cuius solutio (ut inquit *Sennertus*) in erysipelatis eruptione versatur , considerandam esse putamus.

In secundo verò tanquam morbus secundarius , erysipelas inspiciendum venit ; ut cum scorbuto , scrophulis , rachitidi , supervenit , & tunc temporis in debellando tantum morbo primario , totæ converti debent medicorum curæ , sublato quippè illo , tolletur & aliis.

In tertio , id est , in erysipelate complicato , (quod existere dicimus cum erysipelas cum alio morbo à quo non pendet annexum invenitur) utriusque morbi ratio haberi debet , unumque post alium investigari oportet.

Diversæ sunt complicationes , quibus erysipelas obnoxium est , & hoc ratione diversarum circumstantiarum has complicationes foventium ; ut subjecti erysipelate laborantis diathesis , aëris temperies , epidemia regnans , regionum differentia (3) , ætas , vietus & potus , &c.

(1) M. *Selle* dit que la plupart des pleuripneumonies paroissent plutôt des érysipèles internes , que de véritables phlegmons ; mais nous disons avec lui , que cette distinction est difficile à faire.

(2) Rectè quidem asserit *Lorry* multos dari tumores erysipelatosos , non re sed nomine tantum differentes.

(3) Sic sub cœlo aut regione frigida , morbus noster diathesi inflammatoriæ frequentius annexus invenitur ; in calidâ vero putriditati magis obnoxius (*Cullen*).

Quamvis omni in tempestate vigere possit erysipelas, tamen annuente (*Van-Swieten post Sydenham*) circà æstatis finem frequentius occurrit.

Cum propter meæ theseos limites mihi non liceat erysipelatis cum omnibus complicationibus quibus obnoxium est, notitiam dare, de erysipelate, cum febre bilioso inflammatoria conuncto, agere tantum animus est, cum hæc sit febris, frequentius erysipelas concomitans.

Morbis de quo in præsentiarum, manifestatur horrore & rigore, oris amaritie, appetitu dejecto, quæ excipit calor ardens, sitis, cephalalgia, cardialgia, &c.; nascente erysipelate, hæc omnia minuuntur symptomata.

Non tamen tam benigna semper sunt quæ in erysipelate observantur; aliquoties enim, (& imprimis quandò erysipelas faciem vel caput infestat) truculentiora observantur symptomata, cephalalgia nempè immanni torquentur ægri, frigoris excessus cum cerebri affectione sæpè fit, delirio scilicet, torpore, comate somnolento capti decumbunt ægri, pulsus frequens, ferèque semper plenus & durus observatur (*Cullen*).

Post primum, secundum, aut tertium morbi diem (ut jàm dictum manet) exit erysipelas minimum spatum occupans, sed gradatim ex primâ quam prius occupaverat parte, ad alias se extendit, ita ut totam corporis superficiem quandoque progrediatur, (quod observavit *Lamotte, Van-Swieten*).

Partes omnes rubore tactæ intumescentiam aliquam habent, non evanescentem nisi post aliquod tempus, ab invasione ruboris.

Tota facies magnoperè tumet, & in tali gradu quandoque palpebræ, ut oculi omnino claudantur.

Nec rarum est, ut pars erysipelate tentata, phlebitænis obtegatur, humore tenui repletis, subflavo, aut potius decolore, & simile illi, qui in phlebitænis ab ustione provenientibus continetur; aliquando etiam, præcipue in erysipelate faciei, hic humor viscosus omnino, crustas crassas efformat, crustis lacteis recens natorum haud absimiles, post aliquos dies decessuras, (*Tiffot*) cutis superficies in locis ubi phlebitænæ elevantur, colore livido, subnigroque sæpiissimè tegitur, sed plus terroris quam periculi portendit symptomata illud, cum raro ultrà cutis superficiem se extendat nigredo. (*Cullen*).

Inflammatio plus minusve durat, & hoc ratione morbi intensitatis: dum inflammatio progressus suos edit, sæpè evenit ut affectio comatosa & febris, eodem tempore accrescant, & ægrum, ad plures, nono vel undecimo à

morbi die mittant (*Cullen*) ; alias omnibus recte procedentibus , hæc inflammatio sudore critico , & abundante dissipatur ; & declinante febre cuticula versus morbi finem squamosa evadit , deciditque.

Rarò erysipelas in suppuratum abit , quod si fiat , malum ; pessima quippe semper est hæc suppuratio , & ad gangrænam vel saltem ulcus pertinacissimum tendit (*Selle*) , cuius infortunii causa , curationi sinistræ sèpè cum fundamento tribuitur ; attamen aliquoties existit erysipelas malignum & epidemicum , quod facile in gangrænam degenerat (*Tissot*).

Erysipelas contagiosum haud est , sed quando à materiâ acri exterius applicata nascitur , luce meridiana clariùs patet , hanc posse ex uno in alium subiectum transfire.

Qui erysipelate semel laborârunt , reversionibus subiecti sunt ; nec desunt pro quibus erysipelas morbus periodicus fit : hominem aliundè sanum , bis in anno , & versus utriusque æquinoctii tempora , erysipelate corripivit *Lorry*.

Quoad prognosim : illam deducendam esse dicemus ex causis erysipelati faventibus , & ex phœnomenis in illo observandis : summa , in prognosticando , attentio fieri debet , ad partem erysipelate tentatam , sunt enim partes in quibus erysipelas , majorem quam aliis , tyrannidem exercet ; itaque his prælibatis , sic per causas erysipelatis generationi faventes incipimus.

Hæc sunt constitutio sanguinea , sed præsertim biliosa , graviora animi pathemata , præcipue terror & ira , evacuationes suppressæ , immoderata exercitatio , frictio , animalium punctura , ignis , solis ardor , vinum merarius larga manu sumptum (i) , cupediarum esus , vigiliæ nimium protractæ , balnea nimis frigida vel calida , vel in aquis impuris , & omne quod expirationem in eute coërcere potest ; hinc videtur , has in externas & internas dividi posse : ad hunc morbum corpora malo habitu donata proniora esse compertum etiam manet (*Platner*) ; inter scorbuti symptomata etiam numeratur , & tunc temporis diutiùs protrahitur ; nec rarò evenit ut erysipelas crura infestans , in pertinacissimum ulcus facessat , & hoc præsertim , in senio confectis (*Lieutaud*) ; erysipelas caput vel faciem

(i) Erysipelatis speciem unam ab hâc solâ causâ productam refert *Sydenham* p. 174.

contaminans , eò magis pertimescendum , quò immanior est intumescentia ; nec pericolo caret zoster ; in ancipiti versatur eventu , si partes glandulosas præcipuè mammae conspurget ; si uterum prægnantis lethale (*Hipp. lib. VI aph. LIX*). Eò calamitosius de erysipelate pronuntiare debemus quò cerebri affectio major est. Et raro metum incutit erysipelas ab hujusmodi affectione immune , sed si hæc à morbi principio jam manifesta sit , & aliqua tirannide ægrum crucietur , timere medico licet.

Erysipelas vagum , diuturnius communiter est.... *Erysipelas foris quidem intro verti, non bonum, intus verò foras, bonum. Hipp. lib. VI aph. XXV.* Evidem si erysipelatis morbosa materia , ab exterioribus ad interiores partes se convertat , harum functiones , & turbat , & abolet , ægrosque ad libitinæ rationem mittere solet , quod imprimis evenit , cum materia pectus vel cerebrum impedit. Metastasis in cerebro factam esse , conjicere datur , quotiescumque post retrocessum materiæ , æger delirio labore , ejus facies inflammata , oculi scintillantes , igneque quasi repleti , in conspectum veniunt , qui phreniticus factus & lethargiâ tactus , rebus humanis vale dicit.

Si metastasis in fauibus fit , ibi anginam producit , quæ brevi ægros illuc mittit undè negatur redire quemquam.

Malè etiam ominandum de erysipelate in suppuratum abiente , mala quippè semper suppuratio est , nam non est verum pus , quod in illo generatur.

Ut ad curationem deveniamus , febrem , quâ erysipelas complicatum inventur , rectè cognosci debere dicemus , & cognitâ , ad illam debellandam toti se convertant medici , ut hoc modo simplex factum erysipelas facilius curationem admittat.

In hâc nostrâ erysipelatis specie , venæ-sectione primùm utemur , quam necessariam judicamus , tam ratione diathesis phlogisticæ , quam etiam , ut faburra aptior hoc modo ad turgescentiam reddatur ; ipsâ venæ sectione etiam occurritur inflammationibus & congestionibus , quæ remediis evacuantibus , resolutivis , in posterum neceffariis , subsequi possent (*Selle*).

A recto tamen defleunt tramite qui venæ sectionibus nimis indulgent ut plures qui à conspecto sanguine inflammatorio , iterandas esse venæ sectiones sibi persuadent (*Lieutaud*).

Post inflammationem sufficienti sanguinis detractione exinanitam materiamque

riamque ope resolventium & diluentium, ad turgescentiam, (ut inquiunt) aptiorem redditam, primum locum tenere videntur emetica, quibus, forte, potiora arma ad morbum nostrum impugnandum, haud habent naturæ ministri, ideoque illa nec neglexerunt. (*Heyin*, *Lieutaud*, &c.). Cendum à vomitorio ubi à retrocedente erysipelate nausea & vomitus oriuntur, quæ non faburræ, sed materiæ exanthematicæ ventriculum petenti originem debent (*Quarin*).

Sunt qui absorbentia in usum, nec sine ulla utilitate (ut inquiunt) trahunt, ut magnesiam, oculos cancrorum fluviatilium, & alia hujuscæ farinæ, (*Piquer*, *Platner*) sed hæc haud necessaria hic judicamus. Diluentia, demulcentia, serum nempè laetis, aqua pulli, emulsiones, potus lacteo aqueus, &c. (*Lieutaud*), totam implent paginam.

Alvus per totum morbi decursum servanda est libera, ope tamarindorum, tremoris tartari, enematum emollientium, &c. Pro potu ordinario dari possunt diluentia acidiuscula, ptisana scilicet hordei cum oximelle, decoctum acetosæ, limonata, omnia tandem ex sambuco parata, maximæ sunt utilitatis hoc in morbo (*Quarin*).

In fine morbi ad cathartica devenire opportunum judicamus, quæ reliquias omnes bilis stagnantis, foras eliminando, agmen sæpe claudunt (1).

Æger à nimio calore, & à nimio frigore se defendat; jejunio & quieti auscultet; ejus situs rectus, caput elevatum in quantum fieri possit sit, & conservet (2).

Quæ de internis dicta, sufficient, & ad externa deveniamus.

Balnea tepida extremitatibus inferioribus (3) cum tumor caput infestat, plurimum conferunt, nec hisce cancellis continetur indicatio, nam si

(1) Solis purgantibus per alvum, in erysipelate faciei debellanda, utebatur *Stoll*, sed his in casibus erysipelas absque complicatione existere & à foco, in intestinis aut primis viis toto nidulante, originem trahere, quis non videt.

(2) Quæ hactenus exposui remedia, præcipue ubi erysipelas faciem infestat convenient.

(3) Non in sola revulsione tota consistit horum balneorum utilitas: nam situs quem servat æger, dum extremitates inferiores in balneum demittit, & vigilia qua tenetur durante balneatione, totidem sunt conditiones, hæc balnea pluribus in casibus ægris utiliora reddentes. Illust. professor *Broussonet*, in suo cursu medico-chirurgico.

tumor hac in parte situm habeat , ægrumque aliqua excruciet tirannide ; tunc sinapis opus est , quæ mirabiles effectus edere possunt in hac rerum conditione ; sic intra quatuor horarum spatium , humorem erysipelaceum , nares , oculosque infestantem , versus crura , hoc modo attracatum fuisse , testatur *Tissot*.

Quoad topica : varia à variis celebrantur auctoribus , sed plerorumque effectus in ancipiti versantur eventu ; applicatione nempe narcoticorum , refrigerantium , astringentium metus est , ne retrocessui materiæ erysipelatosæ locus detur ; spirituosa inflammationem adaugere videntur ; ac tandem , oleosa , butirosa , resinosa , & aquosa , extentionem erysipelatis accelerare , gangrænamque conciliare possunt (1).

Si erysipelati proniores , supra cutim oleosa , vel pinguedinosà applicentur , cutis quæ ante applicationem sana erat , subito post illam erysipelate corripetur (*Tissot*).

Ergo hæc omnia generaliter loquendo tanquam perniciosa rejici debent ; & ad ea tantum recurrentum quæ alicujus possunt esse utilitatis , & ex quibus nullatenus sinistri effectus sequi possunt , ut sunt absorbentia supra tumorem applicata quæ humorem acrem , rodentem , ex illo continuò exsudantem imbibendo , maximæ sunt utilitatis ; pulveres sicci , farina scilicet fecalis , aut avenacea , favarum , lupinorum , creta , huc coincidunt.

Mos apud anglos invaluit , tumorem brasiceæ oleraceæ foliis cooperiendi , mirabilesque effectus ab hac applicatione oriri refert *Bosquillon*. Hac applicatione (inquit illust. ille vir) tumoris exsudationi locus datur , inflammationi medetur , uno verbo curationis complementum fit ; nec tamen inflammationis extentioni , ut prima videtur fronte , favet.

Si erysipelas præter modum inflammetur , panni , forti decoctione florū sambuci intincti , supra tumorem tepidi applicati , crebròque prout necesse sit humectati , breve intra tempus inflammationem tollunt ; æger immanibus doloribus , ab illa erysipelatis specie , quæ vernaculè *feu de*

(1) Vide *Sennert* loquendo de erysipelate , historiam refert hominis hoc laborante in manu sinistra , qui cum ex concilio tonsoris , brachium & manum , per aliquot dies , oleo rosarum inunxit , gangrænâ tota manus correpta fuit.

St. Antoine dicitur , pendentibus vexatus , post hanc applicationem ab omnibus liberatus fuit (*Tiffot*).

Quando erysipelas cum œdemate complicatum invenitur (quod non raro evenit) tunc temporis resolventia , nonnullamque roborandi facultatem habentia , totam implent paginam ; hujusmodi sunt vinum rubrum tepidum , nonnihilque aromaticum , aqua calcis , cum aqua vulneraria aut spiritu vini mixta : sed animadvertisendum quod hæc , non nisi cum tentio & dolor jam evasere , in usum trahi possunt.

Aliquando aliquid phlegmonosum erysipelas habet , tuncque lotionibus relaxantibus , & diaphoreticis investigandum esse contendit *Heyin* , qui & cataplasmata cum micâ panis , aut pulpâ herbarum emollientium suadet . Applicationes humidæ admoveantur , solisque farinis exsiccatis operiatur tumor erysipelatosus , ad phlegmonem accedens , inquit *Cullen* .

Medicus in quantum fieri potest , suppurationi erysipelatis opponi semper debet , bonum quippe non est pus (ut jam diximus) quod ex illa suppuratione provenit , sed est materia serosa , rubicunda , putrida aut saniosa , acris , & maligna ; saepius tamen hæc progressus suos edit quin medicus possit illam reprimere , tuncque melius est illam accelerare , unguento basilico , & suprà illud cataplasma relaxans adhibendo ; quando materia formata jam est , incisionibus in diversis tumoris superficie punctis peractis , exitum illi concedere oportet , deinde incisiones istæ blandis digestivis currentur .

Phlegmæ etiam quæ suprà erysipelas exire solent , acu parti earum inferiore inflcta perforari debent , linteisque concinnis premi , ut humoris intrâ illas contento aut recondito viam paretur (*Tiffot*) (*Heyin*).

Si pars erysipelate tentata liveſcat & gangrænæ metus sit , internè cortex peruvianus ; externè , antiseptica , ex camphorâ , cortice peruviano , scordio , aristolochiâ , cum vino & aquâ parata , in usum vocanda (*Quarin*) ; si erysipelas locum mutet , & partes nobiliores impetat , repellentia indicantur , vires vitae exorbitantes venæ-sectione , balneis pedum , & aliis remediis antiphlogisticis compescere oportet ; vires languentes , vesicantibus supra crura , & moderata camphoræ dosi erigendæ sunt (*Quarin*), in hoc casu convenit etiam ptisana florum sambuci cum nitro affatim hausta , thé , (*Tiffot*).

Qui erysipelati obnoxii sunt , ab alimentis pinguibus , viscosis , abstinent ; laeti & quibuscumque ex illo paratis , in quantum possint non indulgeant ; (*Tissot , Heyin*) vina spissiora & fortiora , sibi negent ; vitam sedentariam fugiant ; eorum pabulum ex alimentis facilis digestionis , herbis fructibus horeis , acidiusculis , libertatemque alvinam præsertim servantibus , deponi debet ; moderato exercitio donentur ; pro potu aquam accipient , vinum nisi album & leve sit ipsis damnum inferre potest ; alvum cremore tartari , aut alio laxante identidem repetito , moveant ; balnea , pluries in anni cursu repetita , non parum ipsis proderunt ; serum lactis cum succis plantarum , cichorei , taraxaci , nasturtii aquatici aliarumque consimilium , aestate per duorum triumve mensium spatium , singulis matutinis potent ; nec infimum locum merentur aquæ minerales acidulæ , leviter purgantes , bilem exorbitantem , per alvum expellentes . Hæc est prophylaxis quam sine damno negligere haud possunt qui erysipelati habituali obnoxii sunt , non solum propter metum , quem erysipelatis redditus incutiunt ; sed præsertim eo quod neglecta hac prophylaxi , obstruacio , aliudve vitium , quod ipsis in circumstantiis , in hepate , aut in fistide felleâ locum saepè habet , progressus suos edere posset , & tandem curationem non admitteret .



ARGUMENTA BUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

- D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ , *in sacro Consistorio Consiliarius , Universitatis Cancellarius.*
- D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ , *Decanus.*
- D. ANTONIUS GOUAN , *Pro-Decanus.*
- D. FRANCISCUS BROUSSONET.
- D. FRANCISCUS VIGAROUS.
- D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.
- D. HENRICUS FOUQUET.
- D. J. B T. BAUMES.